
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai.

1. Disputatio de Potentia in rebus.
2. Disp. de Synonymo et Paronymo.
3. Gymnasium Logicum.
4. Tractatus de Pane edit. 1641.
5. Genethlia sive Natalitia ed. 1642.
6. Delineatio Colloquii inter Valerianum Magnum, Capucinum et Henricum Nicolai.
7. Erklärung der Worte Eccles. IV. 4. secunda editio.
8. Anatome Papismi imprimis Jesuitici.
9. Nathanael Tilgner Predigt bey der Leichbegängniß Henrici Nicolai gehalten.

D.O.M.A.

Gymnasii Logici

CORONIS

DE

NATURA

ET CONSTITUTIONE PHILOSOPHIÆ

Disputationis loco
Ad sententiarum collationem
in Gymnasio Gedanensi
Proposita

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI
Philos. Mag. & Professore
Ordinario

Respondentis partes expediente

HENRICO MOLLERO
Dantiscano Borusso.

Ad diem 21. Augusti. S. N.
In Auditorio Philosophico
Horis destinatis.

DANTISCI, Typis GEORGI RHETI,
ANNO CIↃ. IↃC. XXXIV.

Generoso, Strenuo, atq; Nobilissimo
Domino

DN. JOHANNI ARCZISSEWSKY,
Hæreditario in Bartlew & Buschkow. &c.
Dicatarij provinciales Assessori Consultissimo.
Dn. Patrono, Fautori atq; Affini suo
plurimùm observando.

Nec-non

Integerrimo atq; Humanissimo Viro

DN. LAURENTIO GABRIELI,
Tribuno Plebis longè dignissimo. Tutori
suo fidelissimo.

Dnn. Patronis & Fautoribus summâ observantiâ
æternùm colendis

*Hanc disputationem Philosophicam submissè
dedicat & offert*

HENRICUS MÖLLERUS.
RESPONDENS.

1.

VT quatuor rotarum mobilitate & promovetur currus agilitas, & firmitate sustinetur compages, & inhibitione motionis subsidit progressus: Ita quatuor primariis habitibus, quos vulgato nomine facultates hodiernus usus appellat, & scitorum liberalium congeries scituri animo velut infundibulo immittitur: & sustinentur sciendorum objecta: & velut aggestis crepidinibus multivaria coërcetur scibilium rerum, & in naturâ, & extra eam errantium, circumvagatio. Facultates eas communiter dicimus Theologiam, Philosophiam, jurisprudentiam, & Medicinam. Hac vice, missis cæteris, Philosophiæ indolem exactius ad contemplationis stateram librare est animus.

2. Philosophia consideratur vel præcognitivè, vel cognitivè. Præcognitivè tripliciter. An detur diversa à cæteris habitibus? Vbinam detur? Quot modis consideretur?

3. Quà primum: Dari Philosophiam diversam à cæteris habitibus sic patet: Datur diversum objectum & diversus considerandi modus formalis circa istud objectum, à Theol: Jurispr: & Medicinâ. E. datur diversus ab illis scientiæ habitus. Antecedens patet: Objectum enim Philosophiæ est omne naturaliter intelligibile & agibile in genere: non in specie ad hoc aut illud individuum determinatum, quomodo ad individua divinitus revelata descendit Theologia, ut Christum, Deum, Adamum lapsum, instauratum: aut ad singulares status & personas naturaliter notas, qualiter Jurisprudentia, ut statum justitiæ causæ hunc vel hunc, cum Titio, Sempronio: Medicina, ut sanitatem restituendam Petro, Paulo, &c: huic aut isti corpori humano. At Philosophia habet objectum ab-

ſtractum à ſingularibus, ſive iſtud objectum ſit ſpeculabile, ſ.agibile. Deinde modus conſiderandi in Phil: eſt diverſus à cæteris facultatibus. Sic in Philoſophia univerſalis, in Theol: magnam partem ſingularis: In Philoſophiâ ut naturali cognitionis lumine acquirendus: in Theologiâ ut revelatione: in Juriſpr: & Medicinâ ſæpè, ut authoritatibus Cæſarum, clarorũ Medicorum nixus.

4. Quâ ſecundum: Philoſophia datur in re, non ratione, id eſt, eſt ens reale, non rationis: Eſt enim habitus realis, ad ſpeciem qualitatis reducibilis, mentem civiliter perficiens: Vt poſt dicetur. V. t. 9. Quà tertium: Phil. conſiderari poteſt ut Archetypa, in primâ omnium ideâ appræhenſa, & ſic eſt in Deo: vel ectypa, & ſic vel in legitimo ſubjecto, ut animo humano vel angelico, ſic eſt habitus animi, & ſic hic conſideratur: vel illegitimo, & ſignotenus, ut cum dicitur eſſe in Syſtemate ordine digeſto, ſecundum ſigna quædã, litteras, ſignificata præceptorum Philoſophicorũ intelligenti repræſentantes: vel accidentario, ut cum dicitur eſſe in gentili, Chriſtiano, Arabe, Græco: Vnde Philoſophiam aliam Ethnicam, aliam Chriſtianam dicimus, Aliam jonicam, aliam Socraticam, aliam Peripateticam, aliam Rameam, aliam Lullianam & Chemiſticam. &c.

5. Fuit præcognitio: Cognitio eſt Nominalis, & realis. Nominalis 1. in homonymià. Philoſophiæ vox variè dicitur. 1. latiſſimè pro omni cognitione humanâ. Quomodo ex Cic. 2. d. offic. dicitur divinarum humanarumq; rerum ſcientia. Et Ariſt. 1. Met. 1. artifices etiam mæchanicos, dicit ſophos, quos hodie dicimus Philoſophos. Et 6. Eth. c. 7. Phidiam & Polycletum inſignes ſtatuarios ſapientes vocat. 2. Latiùs, vel pro Metaphyſicâ & Phyſicâ, quomodo tot eſſe partes Philoſophiæ dicit Ariſt. 1. Met. c. 4. quot ſunt genera ſubſtantiæ: vel pro ſolis diſciplinis theoreticis, quæ ut

prin-

principaliores Philosophiæ partes nomine totius dicuntur, quæ significatio hodie in usu vulgi est, & Philosopho usurpata l. 6. Meta. c. 1. l. 11. c. 7. V: Keck, l. 1. pr. Phil. c. 1. *vel pro solis practicis, quomodo Plato, Socrates, & Stoici Philosophos dixerunt virtuosarum actionum Magistros.* V. D. Scheib: intr: d. Ph. n. 3. 3. Strictissimè *vel pro supremâ Philosophiæ disciplinâ, Metaphysicâ, quæ Philosophia dicitur absolutè,* καθ' ἐξοχήν *& virtualiter: & cum additamento, Philosophia prima, divina.* V. Alsted. l. 5. Encycl. p. 1. c. 1. *Ita* Arist. 4. Met: c. 2. *ait, Dialecticum & Sophistam, & Philosophum, id est, Metaphysicum, de eodem ente disputare. Et eodem significato utitur* l. 1. Meta. c. 3. l. 11. c. 3. 4. *vel pro Theologiâ, quomodo nonnulli eam unam, veram, & divinam Philosophiam vocant, apud* Alsted. l. 1. Encycl. c. 1. §. 1. *vel pro Medicinâ perfectiori, quomodo ea Severino dicitur Philosophia adepta, id est, perfecta, apud eūdē* c. l. 4. Strictè, *pro habitu civili disciplinarū realiū & instrumentalium. Quomodo & Logica, Rhetorica, &c. partes Philosophiæ dicūtur. Sic veteres Philosophiā in Logicā, Naturalem & moralem dividebant. Et hodie Philosophis Rameis, & mistis ea significatio est famosa.* V. D. Schei. c. l. n. 132. Alsted. c. l. Morisā. prol. Phil. §. 2. 5. Strictiùs, *pro habitu civili disciplinarum realium, distincto à superioribus facultatibus, & habitibus instrumentalibus. Hac significatione vehementur delectatus est Aristoteles, ut ex Laërtio notat* Keck. c. l. *& hodie Philosophis vulgato est in usu.* Vt Keck. c. l. Cl. I. M. C. 1. d. 1. q. 4. Fabr. q. 10. Log. prōem. Perer. l. 1. Phy. c. 18. *& aliis.* 6. Æquivocè, *pro placitis Pharisæorum, Sadducæorum & Essæorum. Quæ Philosophiæ nomine olim dicta esse ex* Josepho l. 18. ant. c. 20. Scalig. in elench. Trihær. c. 22. Drusio resp. ad Ser. l. 1. c. 2. *demonstrant* Casaub. ex. 1. §. 9. & Cl. I. M. d. 5.

d. Ver. Dei.t. 13. 15. *Qui & in loco* Col. 2. v. 8. *eam Philosophiæ significationem obtinere putat.*

6. 2. In Etymologia: *Quæ* vel *Logica*, vel *Grãmatica* vel *Historica*. Logica, *vocis Philosophiæ, Etym: nulla est, est enim vox ultimatè abstracta, nullam priorem in suo genere agnoscens, à quâ ut abstractiori formâ, denominationem sortiri possit: sed ipsa reliquis concretis suis denominationem dat.* Grammatica *est à voce* φίλια *&* σοφία *quasi dicas, amor sapientiæ:* Historica *est, quâ quæritur, quis primus author nominis? Et is Pythagoras est, (dictus, quod non minus vera, quam Pythias loqueretur, ut notat* Sylvi. in gryp. Auson·) *vir ingenio ingenti, animi angustior, prius Philosophiæ nuncupator & creditor, vt loquitur* Apulei. l. 2. flor. *Ille rogatus, quid sciret, non sophon se esse, sed Philosophõ respondit, ut ex Cicerone, Plutarcho, & aliis narrant* Masius com. in l. 1. Phys. s. 1. q. 1. Cl. I. M. l. 1. ex Met. ex. 1. §: 1. *Rectiùs tamen factum, si disciplinæ suum nomen perstitisset, & Sophia dici continuata esset. Secus & ex infirmitate humanâ non Theologiam,* δικαιοσυνήν, *sed* Φιλοθεολογίαν *&* Φιλοδικαιοσύνην *dicere oporteret. Quas voces non admitit legitimus loquendi usus. Vt benè* Keck. c. l. Alsted. c. l. §. 2. 3. In synonymiâ: *Dicitur etiam habitus Philosophicus, Cyclopædia, vel Encyclop: Circulus, regnum & universitas disciplinarum, systema studiorum humanitatis, Cursus Philosophicus, & pandectæ liberalium disciplinarum, compages disciplinarum civilium. Huc & encomia ejus & periphrases pertinent, ut cum* Ciceroni l. 5. Tusc. & Apulei. l. d. mund. *dicitur vitæ dux, virtutis indagatrix, expultrix vitiorum, mater omnium bonarum artium: Bonum & inventum Deorum.* Eid. l. 1. Tuscul. *laudatarum artium omnium procreatrix quædam & parens.* l. 1. d. orat. *Platoni similitudo Dei, notitia divinarum & humanarum*

rerum,

rerum, meditatio mortis electivæ. V. Plut. l. 1. d. plac. Phil. c. 1. *Aliis partus ignorantiæ, & Medicina ejusdem,* apud Alsted. c. l. §. 5. & *quæ similia esse possunt.*

7. *Fuit* Nominalis *Cognitio:* Realis *potest esse quintuplex: Definitiva, Divisiua, Causatiua, Objectiva & affectiva.*

8. *Definitio sit :* Philosophia est habitus animi mistus, scientiâ & prudentiâ civili constans, hominem civiliter perficiens.

9. *Hic genus est habitus animi mistus. Dicitur* 1. habitus. *Hæc vox sumitur hic non rigidè, prout in qualitate notat simplicem quandam qualitatem: sed* analogicè, *prout notat quamvis qualitatem firmam, facilitantem subjectum ad operandum: sive simplicem, siue aggregatam. Nā habitus disciplinarum & sic Philosophia, sunt aggregata ex diversis conclusionibus, adeoq́; directè in uno prædicamento per se & primò non sunt.* V. D. Schei. c. 8. introd. n. 38. Mendoz. d. 2. Log. s. 4. Smiglec. d. 7. Log: q. 1. 2. Morisan. d. 12. Log. q. 4. *Imò Philosophia ex diversis habitibus aggregatur, theoretico, & practico.* V. t. 19. *Et reducitur sic analogicè ad Præd. qualitatis.* Alijs *genus Philos. est comprahensio vel systema, siue libro expressum, siue menti impressum.* Alsted. c. l. *item Compages scientiæ & prudentiæ.* Kec. c. l. *At hæc sunt accidentalia Phil: Genera rebus debent esse essentialia. Scribi, omninò accidit Philos: Non enim libri sunt subjectū Philosophiæ, sed mens hominis.* V. Timpl. c. 4. tech. q. 3. *& Systema est in quantitate, ut & compages: At Philosophia ad Qualitatem reduci debet. Vt benè* Cl. I. M. l. 1. ex. th. 1. *Comprahensio menti impressa meliùs & distinctiùs dicetur habitus animi: Philosophia non tàm comprahensio,* quam *habitus comprahendens scient. & prud. est.* Aliis *doctrina definitur.* Becman. introd. com. Log. p. 2. Sluter. syncr. c. 2. t. 2. *Sed & hoc accidentale est Philoso-*

losophiæ, doceri vel non doceri; semper est habitus animi, s. doceatur s. non doceatur. Disciplinæ in suâ formali definitione debent abstrahere à docente vel utente, introducendo vel introducto: Et essentiam rei per se exhibere. Idem hic de Philosophiâ. Sic Logicæ accidentale est, doceri vel disci. Id ergò in definitione non est ponendũ. Idem Sluter. c. I. c: 3. t. 10. 11. *negat habitum Philos. genus esse posse. Quod sit causa habitus, & habitus ejus effectum, causa autem non sit effectum: Et habitus sit posterior Philosophiâ: Genus autem non sit posterius specie, sed prius: Et Philosophia & habitus contingenter cohæreant: At genus & species necessariò. Sed hæc omnia falsa sunt. 1. Philosophia est causa habitus, quatenus docens est, & habitus est ejus effectum, quatenus discitur ab aliquo. At hæc sunt accidentalia Phil: doceri vel disci, Vt ante dictum. Ex iis ipsa natura Phil: everti non potest. Sic Physica ex se est habitus: ex accidenti, quod doceatur, & sic sit causa habitus: aut discatur, & sic habitus fiat ejus effectum. Huc pertinet vulgata illa distincto artium in docentes & utententes.* V. Cl. I. M. c. Keck. p. 11. *Nec generali saltem significato Philos. est habitus, quod habeatur ab intellectu, quomodo concedit* Slut. t. 21. 22. *Sed speciali, quod habilitet subjectum suum ad operandum. 2. Habitus nec posterior est Philosophiâ, sed prior: nec contingenter cum eâ nexus. Semper Phil. ubi est, habitus animum perficiens est, nec unquam hoc ab ejus essentiâ aberit.*

10. *Dicitur* 2. habitus animi: *Habitus vox hic non sumitur* latissimè, *prout & permanentem corporis qualitatem notat, quomodo pugilatoriam, saltatoriam, habitus dicimus: aut ut assuefactionem aliquam etiam bruti significat, quomodo gestus canum, ursorum, ad artificium formatos, habitus dicimus:* Sed strictiùs, *prout animi qualitatem firmam, sive humanitus acquisitam, sive divinitus infusam significat. Ab*

utroq;

utroq; n. Philosophia, ut Philosophia, abstrahit, & quocunq; modo comparetur, habitus animi dicitur: Et subjectivè, quod in animo, ut legitimo subjecto inhæsionis radicetur: & informativè, quod illum informet, & perfectivè, quod ad facultatum illius, intellectus & voluntatis, potissimùm perfectionem ordinetur. Dicitur 3. habitus mistus. Habitus disciplinarum alii sunt simplices, alii misti. Simplices sunt, qui considerant objectum uno formali considerandi modo determinatum. Vt Physica, Ethica, Metaphysica. Misti sunt, qui considerant objectum, duobus formalibus considerandi modis diversis determinatum. Vt Philosophia, quæ considerat objectũ theoreticum & practicũ, speculabile & agibile: Theologia, quæ considerat & objectum divinitùs scibile, ut Trinitatem, incarnationem, liberum arbitrium, sacram scripturam, &c. & divinitùs agibile, ut bona opera, sanctificationem, renovationem, &c. Tales habitus ex formalibus considerandi modis diversis conflati dicuntur habitus misti. V. Alsted. l. 2. encycl. c. 9. Talis habitus est Philosophia: Aggregat enim & objectum tantùm scibile, ut in Metaphysicâ, Physicâ, &c. & insuper moraliter agibile, ut in Eth. Polit. & Oeconomicâ. Vt t. 13. ampliùs dicetur.

11. Reliqua definitionis verba differentiam & finem Phil. continent. Differentia est, scientiâ & prudentiâ civili constans. Scientia est habitus theoreticus, ex causis & principiis Conclusiones deducens, cognitionis gratiâ. Hæc in Metaphysica, Physica &c. compræhenditur. Prudentia est habitus practicus è principiis practicis cõclusiones deducens, moralis operationis gratiâ. Hæc in Ethicâ, Polit: & Oeconomicâ. Vtraq; sci: & prud: dicitur civilis, ad distinctionem Theologiæ, quæ scientiam & prudentiam continet, sed spiritualem, & ratione objecti, & effecti, & finis. Finis deniq; proximus est in Verbis: hominem civiliter perficiens. Perfectio

hæc dicitur civilis 1.distinctionis gratiâ. *Theologia etiam perficit hominem, sed spiritualiter, in ordine ad bonum spirituale, id est, visionem beatificam Dei, consequendum. Jurisprudentia etiam, sed politicè specialiter tantum, in ordine ad justitiam servandam in statu Politico seu Republica: item in singularibus casibus. v. g: Titij & Sempronij, Quinctij & Nævij:* V. Dn. Schei. c. l. n. 29. *Medicina etiam, sed artificiosè, in ordine ad artificiosam actionem sanabilem, Unde & Medicinam vulgò artem definiunt.* V. D. Gre. Horst. d. 1. Med. t. 10. 20 Cl. Sennert. l. 1. inst. Med. c. 1. Pareu l. 1. Chirur. c. 1. p. 53. *Sed Philosophia perficit civiliter totaliter, id est, ut ea, quæ in naturæ circo accuratè scienda sunt, & moraliter agenda s. generaliter, in omni statu, s. specialiter, in quodam, ut Polititico, & Oeconomico, perfectè, quantùm naturaliter haberi potest, sufficiat, ut homo civiliter perfectus, & theoricè & practicè, prout naturæ status fert, reddatur.*

12. 2. Oppositionis gratiâ. *Duo sunt primarij defectus, quibus homines post lapsum infestantur, intellectus obscuratio, & voluntatis ad deteriora inclinatio. Utriq; Philosophia mederi debet: priori per Theorian, posteriori per praxin.* 3. Determinationis gratiâ. *Ut determinetur hic* 1. finis *Philosophiæ proximus & internus, qui est perfectio hominis Philosophica: Quem subsequi possunt externi & remoti, ut imaginis divinæ, quantum ad dotes naturales sciendi, agendiq; quibus coruscabat homo in prisco statu, instauratio: Societatis humanæ conservatio in sciendis & agendis, &c: & ultimus deniq; gloriæ Dei illustratio.* Conf: Alsted. l. c. c. 3. 2. ipsa perfectio, *quæ in homine alia est essentialis, quomodo homo quilibet perfectus est, qui constat animâ rationali & corpore organico: quæ hic non intelligitur: alia accidentalis, moralis & artificialis: Duæ priores perficiuntur à Philoso-*

losophiâ: tertia ab habitibus artificiosis, & univocis, ut artes manuariæ, & analogicis, ut similitudinariæ, Vt Log: Grammatica. &c: Hæc perfectio & est finis *Philosophiæ, quatenus intenditur producenda in homine, ejusq; gratiâ & inventa est Philosophia, & exculta: & docetur, & discitur:* Et effectum, *quatenus jam est introducta in hominem, & studio atque operâ homini confertur.* Conf. Timpl. c. 1. techn. q. 1. *De aliorum definitionibus, quæ variæ sunt, vid.* Keck. c. l. Alsted. c. l. c. 1. §. 5. Hipp. q. 1. Log:

13. *Fuit* definitio *Philosophiæ: sequitur* divisio: *Philo:* est vel Theoretica vel Parctica. Theoretica est, *quæ versatur in objecto speculabili, solius cognitionis, ut ultimi finis, gratiâ.* Practica *est, quæ versatur in objecto moraliter agibili, moralis actionis, ut ultimi finis gratiâ.*

14. *Circa divisionem Phil. multæ sunt varietates, & circa præsentem aliquot difficultates, quæ sunt solvendæ, ut sensus divisionis fiat evidentior. Antiquitùs* Stoici *diviserunt Philosophiam in Physicen, Ethicen, & Logicen: ut instrumentarios habitus compræhenderent, velut Logicam, Grammaticam.* V. Alsted. l. 3. ency. c. 2. *Hos hodiè sequuntur Ramei & misti.* Sluter. sync. c. 3. t. 2. & c. 7. t. 23. Alsted. c. l. Scheib. introd. d. Phil. n. 132. Tolet. prol. Log. c. 2. *Peripatetici Philosophiam rerum esse scientiam dicunt, eoq; instrumentales habitus ab eâ segregant.* V. Cl. I. M. C. 1. d. 1. q. 4. *Cumq; res vel sint tantum cognoscibiles, vel insuper agibiles, oritur duplex Philosophia, Theoret: & Practica. Quæ divisio vetustissima, ab Aristotele usurpata & constantissimè retenta,* l. 2. Meta. c. 1. l. 6. c. 1 l. l. 11. c. 6. Vid. Plutarch. præf. l. 1. d. plac. Phil: Masium in l. 1. Phys. s 1. q. 2. *A sequentibus Peripateticis, Theophrasto, Aphrodisæo, Themistio, Simplicio, Boëthio, Damasceno. &c. defensa.* V. Alsted. c. l. *Boethi-*

us eam mulieris formâ introducit, cui in vestium margine inscriptum fuerit ϖ *&* θ. l. 1. conf. Phil. pro. 1. *Et hodiè communiter retinetur.* V. Cl. I. M. c. l. q. 3. & C. 8. d. 7. q. 4. & l. 1. ex. 1. th. 2. *Potestq́; divisio ita probari: Quotuplices sunt veræ res Naturales, de quibus erudiri potest animus humanus, tot debent esse partes Philosophiæ. Nam Phil: est explicatio rerum naturalium, ut civiliter homo perficiatur.* V. t. 11. 12. *At duplices sunt res naturales, scibiles & agibiles, non plures, non pauciores. E. & tot Phil: partes sufficiũt.* Cõf. Cl. I. M. C. 8. c. l. Perer. l. 1. d. Phil: c. 3.

15. *Varia sunt, quæ hic contrà moveri possunt.* 1. Dantur *etiam res à nobis artificialiter operabiles, ut notiones secundæ, Logicæ, Rhetoricæ, Grammaticæ, &c: E. & illarum disciplinæ ad Philosophiam pertinent. R. Philosophia est habitus realis, id est, entium realium, & principalis: non notionalis & instrumentalis. Istæ res, ut modi loquendi, ratiocinandi, exornandi, memorandi, sunt secundariæ, & instrumentariæ, ad facilius comparandas reales disciplinas servientes. Et sic sub Philosophiâ comprehendi non debent, sed quasi propædia Philosophica ipsi Philosophiæ præmitti. Philosophia debet esse rerum disciplina, non modorum instrumentalium, circa res versantium.* 2. Ethica est *pars Philosophiæ, quia dirigit mores & appetitum. E. & Logica, quia dirigit intellectum in ratiocinando.* Slut. c. l. c. 3. t. 6. *R. Est dispar ratio. Ethica dirigit voluntatem circa opus reale & primarium, à nobis agibile, actiones honestas virtuosas: Logica circa opus notionale & secundarium, Syllogismum à nobis per notiones secundas fabricandum, aut Terminum simplicem. Quæ opera non sunt realia, sed tantum analogica. Idem est de cæteris disciplinis instrumentalibus. Sic Grammatica de notione secundâ purè loquendi, Rhetorica de notione secundâ ornatè dicendi, &c; agit. At Philosophia notiones*

pri-

primas tractare debet, non secundas. Et sic istæ disciplinæ ad Philosophiam strictè dictam, prout hic sumitur, V. t. 6. non pertinent.

16. 3. Membra illa, theoria & praxis, non sunt opposita, sed subordinata. Nam in practicis etiam est cognitio quædam. Nunquam enim virtuosè ages, nisi quid virtus, & quî producenda, prius cognoveris. Sic in Theoriâ est actio, sic Geometria docet lineas ita vel ita à centro ducere, Arithmetica docet numeros ita combinare aut disjungere, quod est agere. E. mala ista divisio. Rennem. resp. ad dis. Scher. c. 4. R. Membra illa verè sunt opposita ratione objectorum, effectorum, & finium ultimorum. Objectorum: Nam in theoriâ est objectum tantùm speculabile: in praxi insuper moraliter agibile. At hæc formaliter sunt diversa; & ita eo modo, quo in divisionibus decet, opposita membra. Conf. Smigl. d. 17. Log. q. 4. Effectorum: Nam Theoriæ eff. est contemplatio & scientia: Praxeos virtuosa actio. Finium ultimorum; (ex quibus hic diversitas membrorum est sumenda, non ex intermediis:) Finis ultimus in Theoriâ est sola scientia, nihil ultrà: in praxi est moralis actio, non sola scientia. At hi fines omninò sunt diversi. Quod si in scientiis occurrat quasi quædam actio, ut in Geometriâ & Arithmeticâ, illa non est vera actio moralis, quæ jam sub actione intelligitur: & tota ad contemplationem s. scire, ut totalem finem dirigitur. Ideò numero, circulos delineo, saltem ut ista sciam. Quod si aliquis scientiam in contemplatione, ad usum aliquem applicet, hoc erit finis scientis, possidentis & Physici: non scientiæ, disciplinæ & Physicæ. Sic si quis vim herbarum, quam ex Physicâ hausit, applicet ad medendum, faciet ut Medicus, non ex ipso fine Physico, qui tantùm scire est. Sic si quis Ethica tractet, tantùm ut sciat, non operetur ea, faciet ex fine suo & subjecti, non proprio ipsius disciplinæ, & objecti, quæ

ultimum finem, operationem habet. Sufficienter enim istius cognitio refertur ad operandum se ipsâ, quia est de operando: quicquid sit de subjecto cognoscente. At ex finibus ipsarum disciplinarum diversitas earum judicanda, non a addiscentium eas. Vt benè Dn. Scheibl. d. Phil. n. 34. Smiglec. c. I. q. 5. Si *in utraq;, & theoriâ & praxi, occurrat cognitio quædam, nondum ea in utraq; est ultimus & supremus finis, ex quo semper isti duo modi sunt diversi.* γνῶσις *in praxi esse potest :* θεωρία *in solâ contemplatione. Vnde differunt hæ duæ partes Philosophiæ semper finibus ultimis & supremis, cum objectis suis connotatis. Vt benè* Id. c. I. n. 31. *Aliàs unum objectum potest esse speculabile, ut affectus in Physicis, & agibile, ut idem in Ethicâ :* V. Perer. l. 1. d. nat. c. 3. *Fines tamen ad diversam disciplinam utrumq; redigunt.* Conf. Fonsec. l. 6. Met. c. 1. q. 5. f. 1. & 7. Cl. I. M. c. Keck. l. 3. f. 3. t. 2. c. 1. *Materialiter potest esse Vtrumq; : formaliter ex objecto finem includente, semper alterutrum. Vt benè* Smigl. c. I q 6.

17. 4. Omnis *disciplina debet habere usum in vitâ humanâ, non esse inutilis. E. omnis habebit operationem aliquam, non in solâ contemplatione acquiescet. R. Om. Disciplina debet habere usum, id est, utilis sit ad perficiendum hominis vel intellectum vel voluntatem. Et sic Phil. Theoretica utilis est, ad informandum intellectum humanum in vero, & exuendum inscitiæ rubiginem.* Scal. ex. 307. f. 3. *Non omnis habet usum, id est, operationem ab ipsâ cognitione distinctam.* Co Timpl c. 3 techn. q 1. Sluter. c. I. c. 3. t. 41. *negat, cognitionem posse esse ultimum finem, sed destinatum ad finem. Hoc in practicâ. Phil: procedit. In Theoreticâ ex fine ipsius habitus in se, sistitur in ipsâ cognitione, ut in ultimo & supremo fine. Nec n. hic sequitur opus à cognitione distinctum, ut in praxi morali solet.*

18. 5.

18. 5. Philosophia *est ens absolutum. Est enim habitus & qualitas, quæ entia absoluta.* V. t. 10, 11. *At speculativum & practicum esse, sunt respectiva. Nullum autem respectivum potest esse differentia absoluti. R. Philosophia ut habitus perficiens animum hominis est, est ens absolutum: Vt est habitus ad certa & diversa objecta, quæ proponit, respiciens, fit ens respectivum secundum dici: & sic per respectus ad ista objecta dividitur in speculativam & practicam. Est hic respectus tantùm transcendentalis, non prædicamentalis: quomodo omnis scientia respicit suum objectum, & omnis potētia & habitus, beneficio sui objecti, & actus, circa quæ versantur, definiuntur.* Conf. Dn. Sheib. c. l. n. 37. Perer. c. l.

19. 6. Hæ *differentiæ sunt essentiales. E. nequequeunt uni enti simplici, quale quid qualitas aliqua est, competere. Sic homo nequit dividi in rationalē & irrationalē. R. N. Cons. Animal est aliquod simplex. Et tamen dividitur in rationale & irrationale, tanquam genus in species essentiales. Sic color, simplex qualitas, in album, nigrum, viridem, ut species. Omnium generum est, differentias essentiales sub se complecti, ad quas diffundi possit. Et tamen genera sunt entia simplicia, sed quæ virtute multa sub se continent. Deinde Philosophia ut habitꝰ aggregatus, in sua inferiora, ex quibus aggregatur, dividitur. Duæ differentiæ essentiales nequeunt in unam disciplinam* simplicem *concurrere: benè in mistam seu complexam, qualis Philosophia.* V. t. 10. *Et Capreolus spec: & pract: accidentales differentias disciplinarum dixit, ex differentiis objectorum in illis sumptas, quæ alia sint operabilia, alia speculabilia. ap.* Valent: T. 1. d. 1. q. 1. p: 3. §. 4. *Sic hæc divisio esset accidentalis. Sed meliùs dicitur, esse essētialis, Vt* Perer. *vult* c. l. & Cl. Weg. q. 3. proe. Log. §. 4. Mendoz. d. 1 1. d. an. §. 23. Fonsecac. l. f. 6.

Vel

Vel accidentalis quidem, sed fundata in differentiis essentialibus cognitionum. *Cognitio n. ex suâ naturâ directiva praxeos, & non directiva praxeos, essentialiter sunt diversa.* *Vt* Smiglec. vult c. I. q. 6. *Nam cum obiectis complicatur simul finis objecti, qui est essentialiter inclusus cuique disciplinæ.* *Possunt autem tales essentiales differentiæ concurrere in unum totum mistum conflatum, & aggregatum ex pluribus, quale quid Philosophia.* *Ita justitia Vniversalis est aliquid aggregatum, ex omnibus virtutibus particularibus, cum ordine ad legum obædientiam, & publicam salutem. Mūdus aggregatum ex diversissimis speciebus.* V. Picol. gra. 4. c. 38. *Ita Theologiam virtualiter complecti & objecta speculabilia & operabilia ajunt.* Vale. c. I. & Cl. I. M. d. 3. d. V. D. t. 15. Smigl. c. I. q. 7. *Vnde aliquid analogon habitui misto est.* Vt Perer. c. I. ex *Thomâ* p. 1. q. 1. a. 4. *adducit. Ita fidem divinam esse eminenter & specul. & pract: ait* Smigl. c. I. q. 6. Cont. t. 10. *Ita in aliis habitibus conflatis esse potest.*

20. Hæc divisio vel *est generis in species, Quod non: Nam genus dat nomen & definitionem materialem speciebus, sic animal, homini, leoni: At Philosophia nulli scientiæ particulari suam: Nec enim dices, Physicam habitum mistum, sciētiâ & prudentiâ constantem:* vel *totius in partes integrales: at partes non habent idem nomen cum toto: At Phil: theoretica dicitur Philosophia:* vel *subjecti in accidētia, At sic divis. tātum accidentalis esset: Vel vocis in significata,* vel *rei in modos essendi, Quæ etiam non. E. nulla est. R. Est totius integralis aggregati, &* analogici *(nam corporeum integrum hic nō est) in partes integrantes* analogicas *& aggregantes. Practicum, speculativum, sunt partes aggregantes habitum totum, Philosophiam. Est divis: veluti totius in suas partes essendi.* V. Keck. c. I. c. 2. *Et in his solitū est, partes participare nomē totius.*

tius. Sic justitia distributiva, quæ est aliquid contentum sub just: particulari, dicitur justitia particularis. Temperamentum sanguineum dicitur temperamentum. &c. Idem in Philosophiâ: Phil. Theoretica, vel Practica est Philosophia. Vocantur talia tota interdum genera, sed latè, pro generalibus conceptibus, ad sua inferiora & specialiora.

21. Phil. Theoretica complectitur Metaphysicam, Pneumaticam, Physicam, & Mathematicam. Hæc iterum in varias disciplinas spargitur: Arithmeticam, Geometriam, Cosmographiam, Astronomiam, &c: De singulis in specie V. D. Scheibl. c. l. n. 42. 43. seq: Quidam addunt intelligentiæ habitum. Alij negant, peculiari hic habitu opus esse: solam facultatem intellectivam solo lumine naturali ad intelligenda suprema principia sufficere. Moris. d. 12. Log. q. 9. Alibi hâc de re pluribus. Practica complectitur Ethicam, Oeconomicam, & Politicam. Alij addunt Scholasticam & Historicam. Alsted. l. 3. Ency. c. 1. & in Phil. restit. technol. c. 14. & Copius ap. Kec. c. l. c. 2. Negant Zabarel. l. 2 d: N. L. c. 24. & Keck. c. l. & d. nat. hist. c. 1. historiam esse peculiarem disciplinam, sed exemplum quasi omnium disciplinarum & fructum. Sluter. c. l. c. 6. t. 39 eam ad Ethicam referendam putat. Alij ad disciplinas practicas in genere referunt. De hâc subdivisione utriusq; Philosophiæ nota 1. scientiam habere se ad partes Ph. Theoreticæ analogicè, nō univocè: Non enim omnes ex æquo sunt scientiæ, quia quædam ex causis, ut Physica & magnam partem Mathematica: quædam ex qualibuscunq; principiis conclusiones demonstrant. Ut Methaphysica & Pneumatica. Omnes tamen ex causis cognoscendi (& si non semper essendi) demonstrant, & hâc ratione in scientiâ univocè se habere dici possunt. Co. Perer. c. l c. 6. 2. Philosophiam habere se ad Theoret: & Pract: ut analogum quid, non ut univocum:

Per prius enim & nobilibus Theoretica est Philosophia, per posterius & ignobilius Practica. Adeoq́; Theoria absolutè & per se, sui naturâ, est præstantior praxi, versatur enim circa nobilius objectum, τὸ νοητὸν, *quod etiam Deum, ut naturaliter cognoscitur, compræhendit, quo nobilius cogitari non potest: & se ipsâ est contenta, id est, sui cognitione: & firmissimo modo probandi, per demonstrationes, procedit: Practica circa ignobilius objectum, actionem moralem, versatur: & ad aliud ordinatur, opus morale: & qualibuscunq́; probationibus est contenta: Etsi in certo casu, ut societate humanâ, Phi: practica possit esse Vtilior, eligibilior, & magis necessaria. Sic vinum naturâ suâ præstantius aquâ: Aqua tamen in vitâ communi potest esse utilior & eligibilior.* Con. eundem c. l. c. 4. Alsted. c. l. c. 2. & l. 6. p. 2. c. 3. §. 10. & p. 4. c. 3. §. 2. Piccolom. gr. 5. mor. c. 46. 48. *Vbi multis hanc rem tractat. Et huc pertinent rationes Alstedij* comp. Eth. Arist. q. 1. s. 1. Scalig. ex. 307. s. 26. 3. Diuisionem *Philo. Practicæ in Ethicã, Politicã & Oeconomicam non esse generis in species, sed unius totius disciplinæ in suas partes & inferiora: Vna enim est disciplina practica, uno objecto materiali, actionibus humanis, & formali, ad honestatem deducendis, prædita: quæ in tres disciplinas velut partes suas & membra inferiora dividitur. Possunt tamen dici tres species analogicæ unius generis velut analogici, prout de Philosophiâ dictum* th. 20.

21. *Fuit* divisiva *Phil: consideratio. Sequitur* Causativa & Objectiva. Causæ *Philosophiæ sunt* vel *efficientes, ut primæ, Deus: proxima homo ingeniosus & inquirens:* vel *materiales, quæ sunt objecta de quibus agit Philosophia, de quibus postea:* vel *formales, quæ in habitu animi cõsistunt:* vel *finales, eæq́; vel ultimæ, gloria Dei: vel mediæ, ut perfectio intellectus & voluntatis naturalis, voluptas Theoretica & Pra-*

Practica. De ijs fusè vide Keck. nost c. l. c. 3.4. Alsted. c.l.c. 3. Conf. th. 12. Objectum *Philosophiæ est materiale & formale. Materiale est* παν νοητον, *omne intelligibile & cognoscibile. Formale est naturale & generale: Cognoscibile* naturale: *quatenus lumine naturæ cognosci potest, ut excludatur cognitio per lumen revelationis, quæ in Theologiâ:* Generale, *ne descendatur ad singulares status, ut in Jurisprudētiâ, vel Individua curanda, Vt in Medicinâ.* Co.t.11.

23. *Fuit* causativa & objectiva *consideratio: Sequitur* affectiva. *Affectiones Philosophiæ sunt* vel *consentaneæ* vel *dissentaneæ. Consentaneæ sunt* vel absolutæ, *quæ Philosophiæ in se spectatæ conveniunt: ut* Necessitas, *ad perficiendum intellectum & voluntatem.* V.t.11.12. generalitas, *quâ circum naturæ.* V.t. 22. *Perfectio.* V.t.11. *Effectorum conciliatio, ut intellectus illustratio, & voluntatis ad bonum morale flexio.* V.t: 12. *Variatio, qua variè tractata fuit â diversis Philosophis, Vnde sectæ Philos: ortæ, Vt diceretur Stoica, Platonica, Aristotelica, Ramea, Chymica. &c:* De quibus Vid. Perer. l. 4. Phys. c. 2. Keck. c.l. l. 2. c. 4. Moris. c. l §. 3. Lips. l. 2. manud. ad Ph. Stoi. c. 2. Vel respectivæ, *quæ Philosophiæ cum aliis facultatibus collatæ conveniunt. Vt sunt 1.* Præeminentia *supra Jurispr: & Medicinam. Philosophia est præstantior Medicinâ & Jurisprudentiâ·* partim *ex ratione objecti, quod in Phil: etiam Deum, ut Deus est, ejusq; attributa compræhendit, quo nobilius objectum nullum cogitari potest:* partim *ex ratione modi Considerandi, qui in Phil: interdum est abstractissimus, adeoq; difficilimus, ut in Metaph. & Pneumaticâ videre est. Vt hanc rem nervosè deducit* Dn. Scheib. c.l.c.18. 2. Vtilitas. *Philosophia summè utilis est omnibus cæteris facultatibus: Inprimis Theologiæ, cui præstat usum* analyticum *in resolvendis textibus sacris, concionibus, argumentis adver-*

sariis, &c. & geneticum tàm *didacticè*, quàm *Polemicè*, & *hoc & astructivè & destructivè, in formandis concionibus, disputationibus, nervosè probādis controversis tractationibus: &c. prout hæc deducunt* Dn. D. Meisn. q. pro. p. 1. Ph. Sob. Keck. c. l. c. 4. Alsted. c. l. c. 3. Dn. Schei. c. l. n. 135. *qui tantam ejus in Theologiâ utilitatem dicit, ut sine eâ hodiè Theologica veritas (ut communiter illa hodiè in Academiis docetur) sufficienter defendi nequeat. Quod praxis solvendorū argumentorū adversariorum cum Photinianis, Jesuitis, Arminianis, abundè ostendet, cum ea magnam partem ex Philosophicis sumantur:* V. Dn. Meisn. c. l. m. 3. §. 4. *Nam prorsus talia argumenta rejicere ut aliena, & insoluta relinquere, protervo adversario nunquam sufficiet. Nullatenus enim concedi debet,* vel *lumen minus verè posse extinguere majus:* vel *naturalium inventorū eam esse aut generalitatē, ut & semper in divinis locum habere cogantur:* aut *aptitudinem, ut semper commodè in divinis applicari debeant. Sed utriusq; contrarium Adversario ab erudito doctore clarè est ostendendum. Erudito dico: Nam simplicium alia est ratio. Illis ad firmandum cor sincerum sola fides sufficit. Hi repudiando magis solvent, quàm ostendendo.* 3. Subordinatio. *Philosophia nulli facultati est opposita, omnibus accidentaliter (essentialis subordinatio hic nō est, sic n. sunt disparatæ disciplinæ.* V. Dn. Kesl. qua. discur. me. 1. §. 6. & m. 2. §. 1.) *subordinata. De Jurispr: & Medicinâ non est dubium. Plurima enim principia mutuantur ex Ethicis & Physicis: De Theologiâ & dubium est, & à quibusdam omninò negatur. Nam duas contrarias veritates introducunt, Philosophicam & Theologicam. Et quia hæc res diversimodè à diversis tractatur, ordine & distinctè est proponenda: Quod sequentibus propositionibus expediri potest.*

24. *Dico* 1. Philosophia in se & ex se spectata, *ex residuo lumine naturæ & principiis naturalibus exstructa, nec ex toto, nec ex parte, contrariatur Theologiæ. Hæc propositio* duplici *scriptorum generi est opposita.* Vnum *Philosophiam in vero, veriore, verissimo usu spectatam, contrariari Theologiæ dixit: Vt si infidelis dicat, esse Deum, esse justum, fore resurrectionem carnis, totum hoc falsum mendaxq́; sit, & prorsus contrarium ei, quod à fideli in his pronuntietur. Hæc sententia Hofmannistarum fuit, revocata ab Hofmanno rectius de his edocto. De quo videatur* Dn. Grau. un. d. ver. p. 8. 26. 94. 97. dn Hutt. L. C. p. 389. *Etiam Anabaptistæ & fanatici huic opinioni sunt affines.* V. Cl: I. Mart. C. 1. d: 1. q: 1. 4. Dn: Meisn: q: gen. P. s. p: 1. me: 4. Perer: præf: l: n. d: princ: *& patet è* Ziegle ro *in Antiarnol.* p: 40. Garguthen: prodr: c: Cl: I: M: *qui totus rusticis convitiis in Philosophiam & assertorem ejus totius Germaniæ celeberrimum jactis, scatet: & quodam Mullero fanaticorum defensore, ut ex epistolâ Dn Corn: Martini videri potest, annexâ* p: 94. c. l: D: Graueri. *Hæc sententia omninò est cruda. Nam* 1. Si *duæ veritates, Philosophica & Theologica, sunt contrariæ, & utriusq́; author Deus est, E. & veritas secum ipsâ pugnabit, & DEVS sibi ipsi erit contrarius. Connexum patet, nam utraq́; habet notiones consentientes cum re: Philosophia in cognitione naturalium sciendorum, Theologia in cog: divinitùs revelatorum. At ubi hoc, ibi veritas. At impossibile est, veritatem veritati esse contrariam. Nam ejus oppositum est fallsitas & mendacium, non veritas.* Scalig. ex. 307. f. 9. Diversæ *veritates esse possunt, nunquam* adversæ. *Deinde Deus secum ipso pugnabit. Nam ille prima & archetypa est veritas, à quâ cæteræ veritates manant. Si hæ sunt adversæ, E. habebunt exemplaria istarum adversitatum in intellectu divino: id est, intellectus divinus contrariis veritatibus erit*

 instru-

instructus, id est, impugnabit seipsum : id est, DEUS secum ipso contrarijs veritatibus conflictabitur. Quod impossibile.

25. 11. Si *aliquod verum Philosophicè, est falsum Theologicè, & vicissim :* aut *respectu eodem id erit,* aut *diverso.* Si eodem, *E. unum eodem modo erit verum, id est, Ens, & eodem modo non verum, id est, non Ens: omne n. verum est Ens, & omne non verum est non Ens. At hoc apertissimè contradictorium est, & impossibile.* Si diverso : *E. hæc contrarietas est saltem apparens. Nam diversitas respectum tollit veritatem contrarietatum.* Con. d. 5. t. 18. 19. *Et sic falsum, aliquod verum in Physicâ, esse falsum in Theologiâ : Ut, hominem sine semine non generari, verum Physicè : falsum Theologicè : Aliquod verum Logicè & Metaphysicè, falsum esse Ethicè, si mendaci animo proferatur. Nam hæc in diversis respectibus fundantur. Non eo modo, quo Physica verum dicit, Theologia negat esse verum, sed alio : Non quomodo res Logicè aut Metap: dicitur vera, negatur esse vera Ethicè, sed longe alio respectu. At per hoc exspirat omnis vera adversitas.* Co. t. 28. Plura Dn. Graver. c. l. p. 5. 6. 7.

26. Alterum *scriptorum genus molliùs hac de re sentit : Philosophiam non ex toto, sed ex parte, in se & suis principiis jam post lapsum spectatam, interdum contrariari Theologiæ. Hæc sententia impugnatur ijsdem argumentis quibus prior. Nam si principia Philosophica in se spectata ex parte contrariantur Theologiæ, E. ex parte Deus secum pugnabit, & ex parte pugnantium veritatum erit author. Quod concedi non debet. Nulla enim ex parte pugnantes veritates introduxit. Deinde Philosophiam ut est post lapsum, spectare, non est Philosophiam per se, & in se, & ex se spectare, sed ex accidentali addito quodam. Ut si hominem, ut claudus est, distortè ambulantem diceres, jam non hoc est hominem per se distortè*

ambu-

ambulare, sed per aliud. At illud additum non potest Philosophiæ per se imputari, nec quæ inde manant, principia Philosophiæ dici possunt. Hæc enim non ex lapsu, sed ex principiis naturalibus in intellectu humano post lapsum residuis, est exstructa. V. t. 27. *Phil. ut hic spectatur, debet vacua ab omnibus conditionibus accidentalibus spectari, & sic etiam abstracta à conditione lapsus. Est* n. habitus rerum naturalium in se. *Quicquid sit de lapsu, vel non lapsu. Quæ ad conditionem subjectorum spectant, non essentiam disciplinarum.* Con. D. Kesler. c. I. mem: 1. n. 1. 2.

27. *Multa sunt, quæ in speciem pro hâc sententiâ objici possunt, & à quodam studiosè collecta sunt. Cumq; tractatus publici juris sit factus Halberstadii, percurrenda sunt strictim potissima argumenta authoris istius, ut res tota fiat evidentior.* Dices 1. Philosophia *contrariatur Theol. hactenus, quà ex lumine naturæ jam post lapsum corrupto, tenebroso, nubilo, crasso, Deo repugnante, obliquo, oritur. Nam ut hodie Phil: per se est, non solum ex ratione rectâ, sed & obliquâ & depravatâ oritur. Theologia contrà ex lumine claro, lucido, aperto. At contrariantur etiam lumen clarum & obscurum, non solum lumen & tenebræ. R. 1. Si ob id Philosophia contrariatur Theol. quod oriatur ex lumine crasso, obscuro, &c: prout post lapsum subjectivè illud lumen datur: Ergò tota cõtrariabitur, nam tota ex tali lumine oritur. Quod authores, qui ita disputant, non concedunt. Et sic Medicina, Jurisprudentia, omnes artes manuariæ contrariabuntur Theologiæ, nã omnes ex tali lumine oriuntur. Quæ absurdissima erunt. 2. Falsum est, Philos: oriri ex lumine crasso, depravato, &c. ut tale est: Oritur n. ex eo, ut primævis notitiis naturalibus residuis præditum est, unde se ad ulteriorẽ rerum naturaliũ cognitionem promovere potest. Omni intellectui hodiè adjacet*

cor-

corruptio tenebræ, &c: quorsum pertinet, cum dicitur corruptus, nebulosus. V. Dn. Grau. c. l. p. 9. *Non tamen ille artium est inventor, quà corruptus, tenebrosus sed quà ex parte lucidus, & si non in eo gradu, quo ante lapsum. Ita principia Ethica, H. V. N. L. S. C. T. non oriuntur ex intellectu humano, ut coruptus, nebulosus est, sed ut ex parte lucidus, & verum eruere, honestumq́ à turpi dignoscere aptus est.* Conf. D. Gra. c. l. p. 3. 6. 8. *Huc refer, quod Theologi dicunt, imaginem Dei totam esse amissam in articulo regenerationis & sanctificationis, unde ad eam renovari jubet Apost.* Eph. 4. v. 23. *mansisse residuam in articulo creationis in rudcribus notitiarũ naturaliũ, ex quib: prodit Philos: & omnes disciplinæ civiles.* Co. Dn. Hutt. L. C. p. 295. 389. 3. *Lumen Naturæ in se est lumen: comparatè, respectu Theologiæ quod clarissimum,* 2. Cor. 4. v. 6. *est exiguum: per accidens, ratione lapsus, est crassum, obscurum. Quà adhuc luminosum est, ita principium Philosophiæ est. At inter lumen tenue & sublime, clarum & obscurum, propriè non est adversitas, sed gradualis tantùm diversitas. Vtrumq́ enim est lumen. Sic Saturnus in se lucidus: Soli, cujus splendor clarissimus,* Sir. 43. v. 16. *comparatus, obscurus dici potest. Ergone hæc astra erunt contraria?*

28. *Dices 2. Quædam principia Philosophica in Philosophiâ generaliter intelliguntur, nec est, Vnde ex ipsâ restringi possint. Sed restringuntur tamen à Theologiâ. Vndè per illam generalitatem, quam habent in Philosophiâ, repugnant Theologiæ, quæ ostendit, ea principia non esse generalia. Sic, Vnum corpus nequit esse in duobus locis simul: Vna numero essentia nequit esse in pluribus personis: Duæ naturæ infinitè distantes nequeunt unam personam constituere: Virgo nequit absq́ congressu maris parere: corruptum amplius idem numero redire non potest: Hæc principia in Philosophiâ*

sunt

sunt generalia: Theologia negat esse generalia. E. illa principia in Theologiâ sunt falsa. R. Hoc argumentum respicit ad determinata quædam principia, quibus intellectis facilè patet solutio argumenti. Falsum est, illa principia Philosophica, eâ generalitate, quâ â Philosophiâ & in illâ proponuntur, negari esse generalia in Theologiâ. Nam omnia principia Philosophica sunt generalia generalitate Philosophicâ, *id est, eâ, quâ in Circo naturæ nullum potest dari dissimile exemplum. Et hanc generalitatem nunquam negat Theologia, quæ suas materias supra & præter circum naturæ procedere dicit. Quorsum se nequit extendere Philosophia suâ generalitate, utpote quæ totum ambitum potentiæ divinæ, quam infinitam esse agnoscit, comprehendere se non posse, quippe humana scientia, novit. Est n. scientia rerum finitarum.* Et *sic nec habet, undè sua principia ita generalia asseveret, ut nec de potentiâ absolutâ aliter se rem habere posse dicere possit. Vera sua principia esse statuit, sed de subjectâ materiâ. Vt benè* D. Graver. præfat. l. d. vn. ver. & p. 5. *Hoc inductione istorum principiorum patet. Ait Philosophus, vnum corpus per naturam sui non posse simul esse in duob. locis. An per potentiam Dei absolutam aliter esse possit, non habet, undè determinet. Deum omnipotentem esse videt, & facere posse omnia, quæ contradictionem non implicent. Esse verò in duob. locis corpus aliquod, contradictionem in definitione rei non implicare etiam videt, quo de alibi latiùs disputatur. Ita unam essentiam finitam non posse esse in plurib. personis, ait, Et hanc generalitatem Theologia nusquam negat: De infinitâ non habet ex se, vnde affirmet, vel neget. Facto ita ex solâ revelatione fidei novimus. Non enim vestigium hujus rei satis manifestum jnvenit in creatis Ratio, quicquid sit de similib. quibusdam, quæ hic adduci solent. Vt trunco, radice & ramis in arbore; Calore, lumine, siccitate in sole: intellectu vo-*

voluntate & memoriâ in animâ humanâ, V. Becan. p. 1. Th. Sch. tr. 2. c. 3. q. 4. 5. *Non tamen etiam ex se habet, unde jure neget, si de facto ita esse fides nostra revelet. Idem habe de reliquis principiis, quæ rectâ generalitate sumpta nũquam à Theologiâ negabuntur. Vt: Duæ naturæ infinitè distantes unam personam per vim naturæ nequeunt constituere: Virgo absq; congressu maris per vim naturæ nequit parere: Corruptum idem numero per vim naturæ nequit reverti. Has generalitates nunquam negat Theologia, aut aliter restringit, ut per illã restrictionem falsitatis arguat principia illa Philosophica. Theologia ad absolutam Dei potentiam ista principia astringit. At Philosophia non habet, unde ad illam sua principia omnia præcisè extendi debere dicat.* Conf. Dn. Graver. c. 1. *Philosophus Philosophiæ detorsione illa principia generalissimè etiam Theologicis inferre potest: Philosophia ex sui naturâ ultra suum formalem considerandi modum, qui in circo otius naturæ sistitur, non potest.*

29. 3. *Etsi Philosophia restrictiones Theologicas non rejiciat, habet tamen aliquid in se, unde rejici possint. Sic Grammatica non docet sic loqui, Tuus mater est bonus matrona: docet tamen aliquid, unde illud rejici debeat, nempè adject: & subst: genere convenire debere. R. Falsum est, Philosophiam aliquid proponere, undè istæ restrictiones Theologicæ rejici debeant. Nã Philosophia nõ potest aliquid docere, undè rejiciatur illud, quod ipsa nulla virtute ex suo foro & modo cognoscẽdi assequitur. Quale quid sunt mysteria meræ revelationis fidei. Vt Trinitas, creatio de facto esse in sex dieb. ex nihilo, incarnatio, prædestinatio, justificatio. Nisi eadẽ ratione dicas, in sutoriâ aut sartoriâ aliquid doceri, à quo abhorreant ea, quæ in Theologiâ proponãtur: Quod impossibile est. Nã inferius nõ potest aliquid proponere, undè rejiciatur superius. At Philosophia est inferius quid Theologiâ. Et sic est disparitas exẽplorũ. Iste modus*

dus loquendi, Tuus mater e. b. m. carpitur â Grammaticâ, quia modum considerandi Grammaticum non transcendit, sed ei subjacet: At mysteria fidei nequeunt carpi â Philosophiâ, quia eam longè transcēdunt, & ejus toto considerandi modo supereminent. Et sic nequit Philosophia aliquid docere, undè ea rejiciantur.

30. 4. Hæc ratio disputandi de Philosophiâ abstractâ & in ideâ est inutilis. Nam hic quæritur de Philosophiâ, quando ejus axiomata de facto applicantur ad Theologica V. G. â Photinianis, Jesuitis, Arminianis: & per ea oppugnātur mysteria fidei. Et certum est, veritatem naturæ non evertere veritatem Scripturæ: & Deum non repugnare naturæ â se constitutæ. Sed non valet, ad nos applicare naturæ integræ & perfectæ conditionem, cum in medys tenebris & extremâ ignorantiâ versemur. R. 1 Philosophia applicata ab hominibus potest contrariari Theologiæ. vt th. 36. dicetur. Sed hoc nequit Philosophiæ in se imputari, sed usui adhibentis Philosophiam. Nec ob id disputatio de Philosophiâ in ideâ est inutilis. Oportet enim distinctè ostendi, quid disciplinis per se competat, quid per aliud, usum possidentium. Etiamsi fortè nusquam in subjecto talis Philosophia per se detur, sed tantùm fundamentaliter in ipsis creaturis. Ita vinum per se non inebriat: sed usus vini in pravè bibente: Et omnes disciplinæ practicæ ideas rerum præscribunt. Sic Ethica ideam perfectè morati, Oeconomica perfecti Oeconomi, Politica perfectæ Reipub: Etiamsi in subjectis ea nunquam dentur. Moris enim est in omnibus disciplinis, ut ideæ quædam, perfectæ rerum formæ, imagines, & exemplaria, quæ in pluribus dispersa sunt, colligantur in animis artificum, & ita conjunctim describantur. Vt ex Heidero loquitur Werdenhag: l. 1. Syn. Pol. c. 11. Ita Cicero summum Oratorem descripsit, & si talis in subjecto nullus vnquam fuerit. Non ob id hæ tractationes

nes sunt vanæ, aut jnutiles. Ostendunt enim naturas facultatum in se, quicquid de subjectis sit, quibus jnhærent. 2. *Integritatem naturæ perfectæ non oportet ad nos lapsu corruptos applicare, sc: in eo gradu, in quo integritas fuit: benè tamen in quibusdam ruderibus & reliquiis luminis concreati in naturalibus: Ex quib. Philosophia est exstructa.* V. t. 27. *Mansit ex parte imago Dei in articulo creationis considerata.* V. l. c.

31. 5. *Qualis ratio post lapsum, talis Philosophia. Nam ejus principium est ratio. At illa est cœca, obliquata, à DEO aversa, & quæ toto impetu contra eum fertur, nec potest non ita ferri. Ergò & talis Philosophia.* R. *Qualis ratio sc. in residuis luminibus naturalibus, talis Philosoph: Nam hactenus ex ratione hæc oritur.* V. t. 27. *Ita artes manuariæ, Medicina, &c: oriuntur ex ratione, ut ex parte in naturalibus adhuc lucida est. Deinde proprium fundamentum Philosophiæ sunt res creatæ: Hinc quales res sc. in esse objectivo cognitæ, talis Philosophia. Ratio est quid excolens & educens ista fundamenta. Et Philosophia est habitus, rationis cæcitatem & errores in naturalibus scitu corrigere debens, non obliquitatem & coecitatem ejus sequens.*

32. 6. *Non tantùm notitiæ naturales sunt principium Phil. sed & experientia, inductio, sensus, observatio, historia, quæ omnia sunt erroribus obnoxia, Sic omne alatum habere pedes, experientia Manucodiatæ falsum docuit. Ita ergò & Philosophia.* R. *Sunt illa omnia principia Philos: adjuvantia, sed in quantum recta sunt, & veritati naturæ accedunt, non quâ obliqua, erronea & ab eâ recedunt. Ita experientia est principium adjuvans Medicinæ, sed in quantum vera, non falsa. Philosophia per se & sua naturâ est notitia rerum verarum: per accidens & ob imbecillitatem hominis scientis, falsarum & erronearum. Sic Sutoria est ars dirigens intellectum sutoris ad congruè laborandum: per accidens*

cidens ex inscitiâ vel oscitantiâ sutoris distortè quandoquè laborat.

33. 7. *Si Phil: est subordinata Theologiæ, erit ab eâ facilior transitus ad hanc, quàm ab ignorantiâ & imbecillitate. Quod est contra* Mat. 11. v. 25. 1. Cor. 1. v. 26. c. 3. v. 18. *Et Philosophiæ dictatis absolutè citra hæsitationem assentiri possemus. Quod verbo Dei est proprium.* Joh. 6. v. 68. c. 17. v. 17. 20. Sap. 9. v. 14. *Imò Philosophi semper pertinacissimi hostes Christianismi fuerunt, & Patriarchæ hæreticorum. R. si Phil: esset essentialiter subordinata Theologiæ, ut ab hac mutuaretur principia sua, valeret argumentum: At est tantùm accidentaliter subordinata, id est, non opposita. Aliàs sunt disparati habitus scientiarum: Hæc divinitùs revelatorum, Illa naturalitèr sciendorum. Nec hinc sequitur absolutè accipienda Principia Phil: Et* Jurisprudentia *& Medicina non contrariantur Theologiæ: Nec tamen absolutè illorum principiis assentimur, sed sub convenientiâ certitudinis artificiosæ. Sunt gradus modiq; certitudinis: Divinis assentimur fide spirituali, immotâ & absolutâ: Naturalibus humanâ, certitudine morali & conjecturali. De quibus* Vid. Mendoz. d. 8. d. an. § 26. 32. 33. 36. Dn. VVeg. in l. 1. post. q. 12. n. 1. Smiglec. d. 16. Log. q. 12. *Deinde Philosophi fuerunt hostes Christianismi, non ut Philosophi, sed ut gentiles. Sic Judæi & Turcæ sunt jurati hostes Christianorum, non quòd Philosophi, sunt enim Barbari, sed quod rabidi & feroces. Philosophia semper favit Christianismo, inquit* B. Rhenatus *in arg. lib: Tertull. c. Valētin: Novit esse Deum, esse colendum. Ita ad quærendum DEVM incitat.* V. Act. 17. v. 27. Conf. Cl. I. M. l. 2. ex. Met. ex. 5. th. 4. Ex. 6. t. 1. 2. 5. 6. Alsted. l. 4. Ency. c. 4. § 4.

34. 8. *Philosophia est medium deprædandi homines.*

Col. 2. v. 8. *nec unquam talis ejus abusus esset nisi ex se habilis esset ad imponendum. Et à Theologiâ arguitur, & reÿcitur.* Esai. 40. v. 5. 1. Cor. 1. v. 19. 2. Cor. 10. v. 4. *Et Theologiam stultitiæ arguit.* 1. Cor. 1. v. 18. c. 2. v. 14. c. 3. v. 19. *R. Est medium deprædandi, sed per accidens: quomodo vinum est medium inebriandi, ex abusu bibentis: & scriptura est medium, quo hæretici ad stabiliendos errores abutuntur. Ita & Theologiâ homines abutuntur.* V. Dn: Grau. c. l. p. 7. *Ex se hinc tàm Philosophia non est medium deprædandi, quàm Vinum non est inebriandi, aut sol excæcandi. Omnia hæc ex abusu utentium pendent. Deinde Philosophia & omnis naturalis scientia arguitur â Theologiâ, scil. in revelatione credendorum, ad quam Philosophia ex se est inhabilis, ut omnes cæteræ naturales notitiæ, Vt medicina, sartoria, &c:* Vid. 1. Cor. 1. v. 21. c. 2. v. 5 6 7. 13. *Inde non potest reÿci Philos. simpliciter, quemadmodum nec sartoria aut Medicina. Nec Philosophia per se, stultitiæ arguit Theologiam, quod ex suo considerandi modo nequit facere.* Vid. t. 28. 29. *sed sapientia carnis, quæ est notitia hominis irregeniti, ut talis præcisè est. Ita omnia ejus opera, dicta & cogitata, semper sunt adversa DEO.* Rom. 8. v. 7. *At Philosophia est cognitio naturæ rerum.* V. Dn. Scheibl. c. l. n. 138. *Quæ hactenus divinis non est contraria.*

35. 9. *Principia naturalia congruunt quidem cum mente divinâ, sed non absq; errore & defectu ex lapsu contracto. E. & ita Philpsophia. R. Philosophia exstruitur ex principiis naturalib: non ut defectuosis, sed ut luminosis.* V. t. 27 *Lapsus per accidens & ad conditionem hominis pertinet, non naturam facultatis.* V. t. 26. 10. *Phil: repugnat Theologiæ, non ut donum Dei, sed ut donum lapsu corruptum & fœdatum. R. Hoc accidens Phil. est. Hic in suâ essentiâ consideranda est, quicquid sit de accidentalibus conditionibus, â*

qui-

quibus hic abstrahendum. V. t. 26. *Ita Sutoriam, Medicinam, &c. definies, ut in suis essentijs sunt, non ut lapsu fœdatæ sunt. Nisi omnibus disciplinarum definitionibus conditionem lapsus velis immiscere, quod adhuc â nemine factum, & illepidum factu esset. Plura in discursu. Hæc potissima istius libelli sunt. Sunt plura, quæ hic obijci solent, de quibus vid.* Dn. Grau. c. l. p. 30. seq. Keck. nostrum c. l. l. 2. ad fin. Cl. I. M. c. l. Dn. Meisn quæ. proem. P. S. p. 1. Dn. Schei. c. l. n. 137. Dn. Kesler. c. l. d. 1. s. 1. d. 2. s. 1. & alios.

36. Dico *II.* Philosophia *ex conditione lapsus & hominum, in quibus est, spectata, & contrariari potest Theologiæ, & de facto sæpè contrariatur.* V. Ephes. 4. v. 17. 18. *Et huc pertinent dicta,* th. 34. *citata. Hoc modo intellectus est corruptus, Et principia sua generaliter etiam Theologicis immista vult, & ex ijs mysteria fidei oppugnat. Hac ratione Trinitas, incarnatio, resurrectio, homini animali sunt stultitia.* 1. Cor. 2. v. 14. Dico III. Philosophia *hoc modo spectata, mysteria fidei oppugnare non debet, expugnare non potest.* Oppug. non debet; *Est enim diversa omninò disciplina â Theologiâ, disparato objecto & considerandi modo prædita. At ex disparatis considerandi modis vera oppugnatio fieri non debet: non enim feriunt* ὁτάυλως, *& ad eundem modum & respectum.* Con. dn Kesler. c. l. d. 1. m. 1. n. 6. *Est præterea per lapsum & conditionem hominum corrupta, cæca, obscurata: At tale quid, Theologiam, ut lumen clarissimum, oppugnare non debet. Et huc pertinet, quando Authores hanc mulierem, & potius meretricem, tacere debere in Ecclesiâ dicunt.* Busch. in paræn. *Cum canem balneo exesse debere dicunt.* Pare. l. 4. d. lib. arb. c. 10. V. Dn. Meisn. p. 3. P. S. s. 1. c. 1. q. 3. *Cũ Athenis & Hierosolymis nil commune esse dicunt.* Expugnare non potest; *Nam corru-*

corruptum, quale quid Phil: hoc modo spectata est, incorruptibile: egenum validum: Natura Creatorem expugnare nullo modo potest. Con. VVerdenha. l. 1. Syn. Pol. c. 11. q: 4.

37. *Fuerunt affectiones Philosophiæ* consentaneæ: Dissentaneæ *sunt, quæ naturæ Philosophiæ sunt oppositæ. Suntq́; ἀφιλοσοφία, s. mera ignorantia, quam fratres ignorantiæ vocant simplicitatem: Vid.* Scalig. ex. 6. s. 4. & ex. 307. s. 3. 26. & κακοφιλοσοφία, *quâ Philosophia distorquetur ad vanitatem subjectorum utentium, ut cum ad imponendum, incrustandum, ostentandum, veritatis certitudinem subruendam, &c. pravè adhibetur. De ijs vide* Dn. D. Meisn. c. l. art. 2. Keck: nost: c l. l. 1. c. ult.

Additamenta.

Vegetans esse non est forma specifica plantæ, ut planta est, sed tantùm ut corpus vivum s. animatum est, quod est genus plantæ & animalis; Et irrationale esse, non est forma specifica leonis, ut leo est, sed tantùm ut brutum est, quod est genus ad leonem, equum, asinum. &c: Plantæ forma specifica est plantalitas; Leonis Leoninitas. *Conf. Timpl. l. 1. Emps. c. 1. q. 15. & l. 5. c. 1. q. 3. Hipp. qu. Phys. 39. Taurel. l. 1. in Cæsalp: q. 6. n. 9.* Contrà sentire videtur *Scal: l. 1. d. plan. p. 26.*

Synonyma prædicantur de suis subjectis in abstracto, & non in abstracto; Paronyma in concreto, & non in concreto.

Luna tota est Luna dimidiata.

Homo est terminus communis; sed omnis homo non est terminus communis.

FINIS.